

æstate irriguis, simulque frigidis, germinibus sero mature-
 scentibus, nec non minoribus, eamque ob causam siliquis
 tenuioribus s. subfiliformibus instrui potest. Itaque *B. præ-*
cox, immo etiam *B. parviflora* (Fries Nov.) leviores esse
 varietates possunt, quam quis, primo obtuitu crederet, qua-
 rum illa "in fossis" dicitur crescere; hæc "in spongiosis irri-
 guis", ipso loco natali cum mea varietate *fontana* optime con-
 gruit, unde petala meis quoque speciminibus *lineari-ob-*
longa, et pallida erant. Sic locus non modo speciem, sed
 etiam genus mutare potest (Cfr. Wahlenb. in Sv. Bot.
 sub *Cardamine petræa*). Istuc est: *Sapere aude*.

§. 53.

Solo pinguido luxuriant plantarum partes, imprimis fo-
 lia ac caulis; quo facto fructui nonnihil detrahitur. Folia
 tali solo lacerantur, caulis plerumque ramosior fit. Tota
 demum vegetatio sic novis incrementis augetur, ut partes
 accessoriaræ, quæ solo sterili numquam apparuere, exinopi-
 nato prorumpant. Exempla hujus rei pauca proferre non pi-
 gebit. *Poa alpina* β.; *Poa annua* var. *fimetaria*, culmo sub-
 setaceo flaccido, spiculis minutis trifloris, flosculis a se in-
 vicem remotis, i e. vix contiguis. In fimetis frequenter.
Triticum repens β. sub rupibus, quo solum semper pinguis-